

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

SIMON GRYNÆVS CANDIDO LECTORI S.

PRobare uehementer studium conatusq; & pietatem Marsilij soleo, uiri meo quidem uidere optimi, qui ut philosophiam nobis ueterem gustandam præberet patefaceretq;, cum uires suas nō ignoraret, nihil curauit de nomine & fama sua quid fieret, modo studijs & ueritati cōsuleret bene: cum qui propter utilitatē publicam ingenio cedere uelit, nullus facile reperiatur. Itaq; magnā gratiam manibus uiri debemus ob egregia merita. Ac dolet mihi quidem, delicijs literarum inescatos subito iam homines adeo esse, præsertim qui Christianos se profitētur, ut legere nisi quod ad gulam facit, sustineant nihil, unde & disciplinæ & philosophia ipsa iā ferè prorsus etiā à doctis negliguntur. Quod quidē propositum studiorū nisi mature corrigetur, tam magnum rebus incommodū dabit, quā dedit barbaries olim. pertinax res barbaries est fateor, sed minus potest tamen quā illa persuasa prudentia literarū, si ratione caret, sapientiæ uirtutisq; specie misere mortales circūducens. Nihil enim perniciosius est, quā cum rerū & uerborum studia diuiduntur. Succedet igitur, ut arbitror, haud ita multo post, pro rusticana seculi nostri ruditate, captatrix illa blandiloquentia, robur animi uirilis omne, omnem uirtutem masculam profligatura, nisi cauetur. Itaq; mihi libuit, eodē quo egregius ille uir, consilio, translatione ipsius cum exemplari græco diligētē collata, & pro uirili nostra mēdis omnibus iam recens per nos repurgata, Platonis philosophiam q̄ latissime, quantum id per me quidem fieri potest, propagare. Nam ut iam olim, cum Græcis Sophistis, uanissimo genere hominū scateret, præstigijs uerborum præcipuos mortaliū passim ubiq; ad se trahente, lingua spiritusq; uenali opes sibi conflante, & sapientiæ nomen turpiter sibi uendicāte, Socratis & Platonis grauissimis disputationibus breui effectū est, ut inanissimi homines innotescerēt orbi: sic puto solida earundem disputationū uipulanti malo tempestiue occurreretur. Vale lector, & philosophare feliciter.